

potiri, & gaudere debeant; nihilominus super Vexigalium, Gabeliarum, dationum, & pedagiorum, aliorumque onerum, & impositionum solutione ab illorum, & illarum Exactoribus perperam, & non sine corundem Fratrum Minorum, & ab eis stricte professae paupertatis detrimento, olim, & nunc etiam, eos in Iudicium trahi, vexari, perturbari, ac assidue molestari contingat.

Concessio Minoribus praefatis privilegiis, & exemptionibus in relictis literis contenta.

§.8. Nos ad evellendam omnem quaestiones materiam, & attendentes, quod Fratres Minores praedicti propterea, quod ipsi, ut praefertur, actu mendicent, & vere nudam profiteantur paupertatem illam, quae Terrenis ubique destituta bonis se divitem exhibet Altissimo; merito eos specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes; nec non ipsos, & eorum singulas personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque sententiis, censuris, poenis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, nec non quarumcumque litium, & Causarum status, & merita, nomina, & cognomina Iudicium, coram quibus illae pendunt, ac colligantium, aliorumque, necnon quorumcumque aliorum privilegiorum, & Indultorum, facultatum, exemptionum, & immunitatum, eis quomodolibet concessorum, praesentibus pro expressis habentes, causasque huiusmodi ad Nos harum serie advocantes, illaque penitus, & omnino extinguentes, ac colligantibus huiusmodi perpetuum super praemissis silentium imponentes, motu proprio, non ad eorundem Fratrum Minorum de observantia super hoc Nobis oblata petitionis instantiam, sed ex certa scientia, meraque liberalitate Nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine omnia, & singula privilegia, immunitates, exemptiones, facultates, gratias, libertates, & indulta in eisdem praemissis literis interitis Nostris, & de Fratribus Ordinibus Mendicantibus, in communi, ut praemittitur, concessa eisdem Fratribus Minoribus, sive regularis, sive strictioris observantiae nuncupatis, ita quod ipsi in posterum de omnibus, & singulis, quae absolute eorum victum, & vestitum, ac religiosum usum, & commercium concernunt, quidquam Dationum, Gabeliarum, & vexigalium quibuscumque, & quomodocumque, per illos solvi debere praetendentibus, solvere minime debeant, speciatim, & expresse Apostolica auctoritate perpetuo concedimus.

Idem omnibus aliis oneribus, etiam literarum solutione liberantur.

§.9. Ac insuper eosdem Fratres Minores ubique terrarum, & praesertim in ditione nostra temporali, ab omnibus datis, vexigalibus, praecipue super Frumenti comulatione, vino, oleo, carne, Animalibus etiam vivis, tam entis, quam alius, quae eisdem Fratribus Minoribus pro elemosyna offeruntur, & quocumque alio comestibilis, ad eorum vestimenta necessarii; postea etiam tam Maris, quam Fluminum: Gabelis in exitu, & ingressu Terrarum, locorum, & Civitatum, aut transitu Pontium, & Viarum, seu etiam in Doganis quomodocumque nunc impositis, & in posterum pro tempore quomodolibet imponendis etiam plene, & expresse dicta Apostolica auctoritate similiter in perpetuum eximimus, & liberamus, eosque in praemissis omnibus, & singulis aliis Datis, Gabelis, & Oneribus, etiam ceteri Mendicantes ad ea

teneri dignoscantur, nec ab eis censentur esse exempti, perpetuo immunes, & exemptos esse volumus, & declaramus.

§.10. Ac praeterea ulteriori, eorundem Fratrum Minorum de observantia indemnitati consulere volentes, motu simili, eos, & eorum quemlibet a solutione portus omnium, & singularum simplicium Epistolarum in semifolio scriptarum, ad eorum quemlibet a quacumque regione pro tempore adventientium, necnon etiam aliarum duplicium, & in folio scriptarum, eorumque involucrorum a Tabellariis deferri solitorum, quae per Ordinis Superiores eorum subditis ipsis Superioribus cum eorum publici sigilli munimine; Non autem quae sine munimine huiusmodi alicui ex eis particulariter diriguntur; pro quibus scilicet duplicibus sine munimine huiusmodi sic directis aliquid munus, aut debitum sibi emolumentum ab eorundem Fratrum Minorum de observantia Conventibus, seu Dominibus praetendere, seu ea libere si Tabellarii ipsi velint, relaxare possint, eadem Apostolica auctoritate eximimus, & liberamus.

Clausula perculat.

§.11. Decernentes quoque praesertim literas nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis Nostrae, vel quopiam alio defectu notari, vel impugnari ulla tenus posse; minusque sub quibusvis similibus, vel dissimilibus gratiarum revocationibus, modificationibus, limitationibus, restitutionibus, & aliis contrariis dispositionibus tam per Nos, quam etiam per Successores Nostrorum quomodolibet, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque Decretis pro tempore factis, & faciendis quorumcumque tenorum existant includi; sed illis non obstantibus in suis robore, & efficacia persistere, & quoties illae emanabunt, toties in pristinum statum restitutas, repositas, & plenarie reintegratas, etiam sub data per ipsos Fratres Minores de observantia praedicti Ordinis eligenda, de novo concessas esse, & ita incommutabilis voluntatis, & intentionis Nostrae esse, & ad hoc ut perpetua firmitate subsistant, vim validi, & efficacis contractus inter dictam Sedem, & praedictorum Ordinum Mendicantium Fratres huiusmodi habere: sicque per quoscumque Iudices, & Commissarios quavis auctoritate fungentes, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet quavis alias iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, & definiti debere, irritum quoque, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Committitur quibus attinet exequutio praedictorum.

§.12. Quocirca dilectis filiis nostris S. R. E. Cardinalibus in Bononiensi, Ravennati, Ferrarienti, & Urbinateni Civitatibus Nostris nunc, & pro tempore existentibus de latere legatis, ac dilecto filio Curiae Causarum Camerae Apostolicae generali Auditori per praesentes committimus, & mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se vel alium, seu alios praesentes literas, & in eis contenta quaecumque, ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte eorundem Fratrum Minorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra ipsos Fratres Ordinis Minorum huius-

C.

huiusmodi voluntate, statuto, declaratione, & aliis praemissis omnibus, & singulis pacifice frui, & gaudere, non permittentes eos per quoscumque quomodolibet indebite molestari: Contradictores quoslibet, & Rebelles per sententias, censuras, & poenas Ecclesiasticas, aliaque opportuna Juris, & facti remedia, appellatione postposita, compescendo: & nihilominus legitimis super his habendis servatis processibus, censuras, & poenas ipsas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii Saecularis.

Derogatoria.

§.13. Non obstantibus praemissis, ac felicis recor. Bonifacii PP. VIII. Praedecessoris Nostris de una, & Concilii Generalis de duabus dietis: dummodo ultra tres dietas, quis vigore praesentium ad Iudicium non extrahatur, & aliis, nec non in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis specialibus, vel generalibus Constitutionibus, & ordinationibus, ac quibusvis etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibus quoque, & aliis Decretis in genere, vel in specie, & quomodolibet per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros praedictos, ac nos, & Sedem praedictam, etiam motu proprio, & ex certa scientia, etiam consistorialiter, & de Fratribus Nostrorum consilio, necnon Apostolica potestate plenitudine concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiam si de illis, eorumque tenoribus specialis, specifica, & expressa mentio, seu aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenore huiusmodi, ac si de verbo ad verbum inserti forent praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, contrariis quibuscumque, aut si aliquibus communitur, aut divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdicti, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de Indulto huiusmodi mentionem.

Fides habenda etiam.

§.14. Volumus pariter, ut eorundem praesentium literarum transmissis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus ex Secretariis generalibus dicti Ordinis, aut Notarii publici subscriptis, & Sigillo Officii, Ministri, aut Commissarii generalis, vel Procuratoris Ordinis praefati, vel alterius Personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides in Iudicio, & extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensa.

Sanctio poenalis.

§.15. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae confirmationis, innovationis, approbationis, absolutionis, exemptionis, liberationis, voluntatis, declarationis, Decreti, & derogationis infringere, vel ei temerario ausu contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo vigesimo quinto IV. Idus Decembris Pontificatus nostri Anno Secundo.

Extenditur Constitutio Gregorii XIII. ad ornatum Urbis augendum edita ad Civitatem Beneventanam.

Dat. 12. Dec. 1575. Anno.

Memorata Const. ed. fuit 1574. P. 3.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Inter divina ultionis flagella, quae in sacris literis contra peccata hominum immittenda, inque Sanctorum Patrum monumentis saepenumero immissa nunciantur, terramotus magnos praecipuo loco numeratos didicimus. Nos ipsi, dum Beneventi, altissimi Dei voluntate in pastoralis ministerio praepositi, adessemus, eius potentiam, & benignitatem ter manifeste vidimus, hoc flagello concussi. Nam & Civitatem Nostram commovisse, potentia fuit; & firmasse, benignitatis. Non enim mortem Peccatoris vult Deus, sed eum converti, & vivere, ut terramotus flagello praetereunte, metus non transeat, sed in cordibus superfit, eoque meliores efficiamur. Itaque tertio nostri Archiepiscopatus anno recurrente, in prima concussione Beneventana, reliquarum summe terribili, cuius mentio Omnipotentis misericordiam Nobis ob oculos ponit, Nos cum toto episcopio profecti, & consulti, brachio Excelli, & praesenti ope Beati Philippi Neri Confessoris, Cleri, & Civitatis Patroni inter communes ejulatus ex lamentabili strage, & ruinis erepti fuimus. Sed contra eventum quamplurimis ovibus nostris, aedificiorum mole obratis, & extinctis. Siquidem praeter episcopium utraque Basilica metropolitana, & B. Bartholomaei Apostoli, collapsae sunt; Aedes quoque Virginum Deo Sacratum, Coenobia Ordinum regularium, & magna pars afflictissime Civitatis cum moenis, & Turribus corruit; adeoque amplissimi Ducatus olim caput, ipsoque aeo nostro clarissima Civitas in tristitiam, & luctum conversa est.

Exordium.

§.1. Nos ergo inscrutabili Dei providentia ex Sede Beneventana ad Petri Cathedram evectos decere arbitramur, post multas, & graves Pastoralis muneris curas hanc nequaquam negligere, ut Civitas, in qua Dominus per totos octo, & triginta annos sedere Nos voluit, eodem benedicente, Apostolatus nostri largitatem experiatur. Quamobrem memoria repetentes damna, a tribus Terramotibus, & praesertim a priori, quem memoravimus, Benevento illata, civitati Beati Petri Apostolorum Principis, Sedisque Apostolice imperio subiectae, instaurationi pro debito officii Nostris in posterum consulere cupientes, Constitutionem pro hujus Urbis Nostrae aedificiorum orandis, ampliandisque per felicis recordationis Antecessorum Nostrorum Gregorium XIII. editam, cum Benevento communem facere, atque ad ejus ornatum, & commodum extendere decrevimus.

Causae praesentis Constitutionis.

§.2. Itaque cum novarum aedium, a Romanis civibus dilatandarum reedificationi, absque Vicinorum iactura, idem Gregorius Antecessor Noster prospicere vellet, provida Constitutione

Extensio praefata Gregoriana eorum titionis ad Civitatis Beneventanae utilitatem.

H

anno

predicta subscripta probari sufficiat, vel in aliquo Monialium Monasterio professionem regularem per ipsas Moniales emitti consuetam expressis emiserint, subsidia dotalia eis, ut praefertur, assignata libere, prompte, nullaque interposita mora, & absque ulla cautione persolvantur; singulas demum Neophytas praefatas ad plura, quam duo ex quatuor subsidiis dotalibus supradictis per memoratum Cardinalem Protectorem nequaquam admitti, seu nominari posse harum serie statuimus, & ordinamus.

Clausa.

§. 5. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus fortiri, & obtinere, ac Neophytis Conservatorii praedicti in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quomodocumque spectabit inviolabiliter observari; Sicque in praemissis per quoscumque Iudices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus praemissis, ac supradictorum Testamentorum, & piorum Largitorum, & ultimis voluntatibus, quas propter praemissa sufficienter, & expresse commutamus, ac Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, nec non dictae Archiconfraternitatis, aliusve quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, usibus, styliis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die VIII. Januarii MDCCXXVI. Pontificatus nostri Anno Secundo.

CII.

Dat. 9. Jan. 1726. An. 2.

Confirmatur Constitutio Clementis IX. super facultate novas erigendi Domos Carmelitis Discalceatis concessa.

Huiusmodi Constitutio ed. fuit 1668, Oct. 6, P. 2., et hic refertur una cum aliis Pauli V., et Gregorii XV.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Constitutio Clem. IX. confirmans Constitutionem Pauli V. & Greg. XV., quibus praefatae facultas ad Fratres concessa fuit.

Alias emanarunt a felic. rec. Clemente Papa IX. Praedecessore nostro literae in simili forma Brevis tenoris sequentis videlicet:

§. 1. Clemens PP. IX. Ad perpetuam rei memoriam. Ecclesiae Catholicae regimini, meritis licet imparibus Divina dispositione praesidentes illa, quae a Romanis Pontificibus Praedecessoribus nostris ad Divini cultus, ac Religionis piorumque operum incrementum, & propagationem provide emanasse noscuntur, ut firma

semper atque stabilita persistant, Apostolici muniminis, cum id a nobis petitur, patrocinio libenter constabimus. Dudum siquidem postquam fel. rec. Paulus PP. V. Praedecessor noster Superioribus Ordinis Fratrum B.M. de Monte Carmelo Discalceatorum nuncupatorum, ipsique Fratribus Discalceatis, ut ubique locorum quilibet in districtu suo Domos, & Monasteria juxta Concilii Tridentini Decreta de sola licentia Ordinariorum, nullo aliarum personarum cujusvis Ordinis, etiam Regularium, requisito consensu, condere, fundare, & erigere valeant, licentiam, & facultatem sub certis modo, & forma tunc expressis auctoritate Apostolica concesserat: rec. me: Gregorius PP. XV. etiam Praedecessor noster eisdem Superioribus, & Religiosis, ut ubicumque locorum, quilibet in districtu suo Domos, & Monasteria praefata, etiam illa aliis Domibus Regularibus Ordinum Mendicantium magis vicina essent quam in Privilegiis Ordinibus Mendicantibus hujusmodi concessis praescriptum est, dummodo tamen Ordinariorum locorum expressus ad hoc accederet assensus fundare, & erigere possent dicta auctoritate concessit, & alias, prout uberius continetur in eorundem Pauli, & Gregorii Praedecessorum literis desuper in simili forma Brevis expeditis tenoris qui sequitur videlicet:

§. 2. Gregorius PP. XV. Ad perpetuam rei memoriam. Alias a fel. rec. Paulo PP. V. Praedecessore nostro emanarunt literae tenoris sequentis videlicet = Paulus I. P. V. Ad perpetuam rei memoriam. Ad Ecclesiae Militantis, cujus regimini, licet immeriti, Divina disponente Clementia praesidemus amplitudinem, nihil magis necessarium, quam perfectorum Militum Christi multitudinem existimamus. Cum igitur sicut magno cum spirituali gaudio nostro accepimus dilecti filii Religiosi Ordinis B. Mariae de Monte Carmelo, Carmelita Discalceati nuncupati tam in Hispaniarum Regnis, quam in Italia, & novi Orbis, aliisque mundi partibus pergant assidue Deo, & Ecclesiae Sanctae suae perfectum exhibere famulatum, non solum ipsi Deo per orationem, & contemplationem sedulo vacantes, verum etiam animarum salutem exemplo, & Doctrina solite procurantes: cumque in dies fructus uberiores ex dictae Religionis propagatione benedicente Domino sperandi sint: Nos ad ea, quae Religiosorum eorundem augmento cedere possunt, concedenda, atque ea quae illis in hoc impedimentum aliquod adferre dignoscuntur removenda, merito propensiores sumus.

§. 3. Quare Motu proprio, & ex certa scientia, ac mera deliberatione nostra, deque Apostolicae potestatis plenitudine ejusdem Ordinis Carmelitarum Discalceatorum Superioribus, & Religiosis, ut ubique locorum quilibet in districtu suo juxta Literarum fel. rec. Clem. PP. VIII. Praedecessoris nostri super erectione Congregationis Italiae praedicti Ordinis: sub dat. 13. Novembris anni Dom. 1600. Pontificatus sui anno Nono expeditarum formam, & tenorem, quem praesentibus pro expresso haberi volumus, Domos, & Monasteria juxta Concilii Tridentini Decreta de sola licentia Ordinariorum nullo aliarum personarum cujusvis Ordinis, etiam Regularium requisito consensu, condere, fundare, & erigere valeant, auctoritate Apostolica tenore pra-

Constit. Greg. XV. alteram Pauli V. referens.

A praed. Paulo V. antedicta facultas conceditur.

praesentium licentiam, & facultatem concedimus, & indulgemus. Non obstantibus ejusdem Clementis Praedecessoris, quae incipit = Quoniam ad institutum sub datum Romae apud S. Marcum sub Annulo Piscatoris die 23. Julii 1603. Pontificatus sui Anno XII. Aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, & cujusvis alterius Ordinis, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & Consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis quibusvis aliis Ordinibus, ac eorum Superioribus, & personis sub quibuscumque verborum formis, & tenoribus in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & approbatis. Quibus omnibus, & singulis, eorum tenores praesentibus pro expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ac derogatum esse volumus, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut praesentium transmissis, etiam impressis manu Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personae in dignitate Ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, ac si forent exhibitae, vel ostense. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 12. Decembris 1605. Pontificatus Nostri Anno Primo.

§. 4. Cum autem sicut dilectus filius Joannes praedicti Nobis nuper exponi fecerunt, nonnulli aliorum Ordinum Mendicantium professores, sub praetextu nimiae vicinitatis, & ex eo, quod per praesentem literas certis Privilegiis eisdem Ordinibus a fel. rec. Clemente IV., & Julio II., & aliis Romanis Pontificibus Praedecessoribus nostris concessis, quibus caveatur, ne aliae Domus Regulares, seu Monasteria Regularibus eorundem Fratrum Mendicantium Domibus infra certum canarum spatium vicina fundari, & erigi possint sufficienter derogatum non fuit, eosdem Fratres Discalceatos in eorum novarum Domorum Regularium fundationibus, & erectionibus interdum impedire praetendant, & propterea iidem Fratres Discalceati sibi desuper per Nos, ut infra opportune provideri sumopere desiderent: Nos Fratres Discalceatos praedictos specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, necnon literas Pauli Praedecessoris hujusmodi quatenus opus sit approbantes, & confirmantes, Motu proprio, & ex certa scientia, nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine ejusdem Ordinis Carmelitarum Discalceatorum Superioribus, & Religiosis, ut ubique locorum quilibet in districtu suo juxta literas Clementis Praedecessoris hujusmodi Domos, & Monasteria praedicta, etiam illa aliis Domibus Regularibus Ordinum Mendicantium hujusmodi magis vicina sint, quam in privilegiis illis, ut praefertur concessis praescriptum est, dummodo tamen Ordinariorum locorum expressus ad hoc accederet assensus, ac servata alias literarum praedictarum forma fundare, & erigere libere, & licite valeant, Apostolica auctoritate tenore

A Greg. XV. denovo eadem licentia indulgetur.

praesentium concedimus, & indulgemus. Decernentes praefatas, ac praesentes literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, dictisque Fratribus Discalceatis in omnibus, & per omnia plenissime suffragari: sicque, per quoscumque Iudices Ordinarios, & Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere: ac irritum, & inane, quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Clementis, Sixti, & Julii, ac quorumcumque aliorum Romanorum Pontificum Praedecessorum nostrorum Constitutionibus, & Ordinationibus, & Regula nostra de jure quaesito non tollendo, ac aliorum Ordinum Mendicantium hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate, alia roboratis, Statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis per praefatos, & alios Romanos Pontifices Praedecessores nostros hujusmodi eisdem Fratribus Mendicantibus concessis, ut praefertur, necnon omnibus illis, quae dictus Paulus Praedecessor in praesentibus literis voluit non obtinere, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud S. Mariam majorem sub Annulo Piscatoris die 8. Novembris 1621. Pontificatus Nostri Anno Primo.

§. 5. Cum autem sicut dilectus filius Joannes a Visitatione Procurator Generalis Congregationis Hispaniae Fratrum Discalceatorum d. Ordinis, nobis nuper exponi fecit, quod fidelium pietas erga Religionem eorundem Fratrum Discalceatorum in dies crescat, & in multis locis, praesertim Regnorum Hispaniae, novas Domos, & Monasteria Fratrum hujusmodi erigi, & fundari desideretur: Verum non desint, qui tam pium opus impedire conentur, non attentis privilegiis super hujusmodi fundatione eisdem Fratribus per literas praesentibus concessis, Nobis propterea dictus Joannes Procurator Generalis humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur ipsum Joannem Procuratorem Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, censuris, & poenis, a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus etiam dilecti filii nobilis viri Moderni Marchionis de Astorga pro Charissimo in Christo filio nostro Carolo Hispaniarum Rege Catholico apud Nos, & Sedem Apostolicam Oratoris nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinatis, praesentibus Pauli & Gregorii Praedecessorum literas cum omnibus, & singulis in eis respective contentis, auctoritate Apostolica tenore praesentium approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adjicimus.

§. 6. Decernentes easdem praesentes, & praesentibus literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus fortiri, & obtinere, ac illis ad quos

A praed. Clemente IX. re-latae Constit. approbantur.

Clausa.

tatem terre-
motibus la-
befactata.

anno tertio sui Pontificatus vulgata, cujus initium, que publice utilia, super hujusmodi novis edificationibus, emendique, & retrahendi Jure Vicinorum Domo, quedam a Jure congrui non recedentia, sed aequa eidem, & consona, in Jure hac de re habendis, observanda, disposuit, atque decrevit, ut in jam dicta Constitutione uberius legitur: quam totam hinc renovatam, & presentem huic nostrae, veluti de verbo ad verbo insertam haberi, & censeri volumus. Nos vero, qui eandem nostram Civitatem Beneventanam Beati Petri fidelissimam filiam, vere paterno, & nunquam nisi nobiscum interituro amore complectimur, eandemque in dies per generosos Cives novis aedificiis Sacris, & Civilibus ornari, & augeri cupimus, ut hoc facilius, & alacrius peragatur, debitaque Juris honestate servata promoveatur, praedictam Gregorianam Constitutionem, omniaque, & singula in ea disposita, statuta, & servanda in dilatandis, ampliandisque aedificiis, emendisque, & retrahendis Vicinorum Domibus causa dilationis, ampliationis, & ornatus ejusmodi, Nos Apostolica auctoritate, ad Civitatis Beneventanae utilitatem, & beneficium perpetuo extendimus, diffundimus, & ampliamus, ita ut super emtionibus, & retractibus domuum, sternendisque ejusdem Civitatis viis, & plateis, erigendisque privatis, & publicis aedificiis, illius ornatum spectantibus, Gregoriana Constitutio semper, & ubique observari debeat; Judicesque in causis coram se ventilandis ad formam ejusdem Constitutionis, & non aliter, definire, & judicare teneantur.

Statuuntur
nonnulla ad
eandem inveni.

§.3. Sed, quia in eadem Constitutione Gregoriana expressè cavetur, ut, si quis in propria Domo, Fundo, solum aedificare voluerit, vicini suas Domo, & loca ejusmodi aedificiis utilia, seu necessaria, utpote eidem domui, fundo, & solo contermina, neque ab ipsis culta, sive habitata, sed tantum locari solita, ei vendere omnino cogatur; pretio tamen aucto ad duodecimam partem, ultra aequum, & congruum ejus aestimationis pretium faciendam; sique aedificio, quod insigne evasurum sit, perficiendo quæpiam Domo, a proprio Domino habitata, sive hortus, aliisque locus, muris cinctus, tali aedificio extruendo cohaereat; tunc eo jam cepto, & ad duobus saltem lateribus domui, orto, vel loco ejusmodi coherente, cujus aestimationem quadruplo aedificium illud sit excessurum, domus horti, vel loci Dominus, etiam in illis habitans, cogatur eam vendere, aucto tamen ad quintam partem pretio solvendo; Nos haec perpendentes, & locis Deo dicatis, ut summum Pontificem decet, providere volentes, aedes sacras, monasteria, aliaque loca pia ab utroque hujusmodi pretio, & augmento absolvimus, eximimus, & liberamus, Ecclesiarum, Monasteria, aliaque loca pia volumus, & statuimus, ut tanti dumtaxat, non pluris, quanti domus, & caetera loca, eorum domibus, fundis, ac solo vicina, juste aestimata fuerint, pro tali emptione, & retractione solvere teneantur. Ubi vero haec omnia, & singula, presentibus Apostolicis litteris nostris comprehensa, atque statuta, fortasse in aliquibus circa legitimum sensum controversiam adduci contigerit, volumus, & decernimus, in eam partem explicari debere, quæ Civitatis ornatui magis favere

videatur, semperque, sive in Jure, sive extra Jure, ubique favorabilia censeri; atque ita ab universis Judicibus, etiam nostri Palatii Apostolici, & S.R.E. Cardinalibus, sublata quavis aliter explicandi, interpretandi, & judicandi potestate, explicari, interpretari, & judicari debere: sique secus fiat, id totum sit irritum, & inane.

§.4. Haec autem fieri volumus, atque statuimus, non obstantibus quibuscumque, & felicis recordationis Symmachi, & Pauli II. Antecessorum Nostrorum de rebus Ecclesiae non alienandis, aliisque Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, legibusque etiam civilibus, distraque Civitatis Beneventanae, & Ecclesiarum, Monasteriorum, locorumque Religiosorum, sive piorum, ordinumque, bonae ejusmodi possidentium, statutis, & consuetudinibus, necnon testantium voluntatibus, aliisque dispositionibus, etiam jure jurando, confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis: Privilegiis quoque, & litteris Apostolicis, eidem Ecclesiae, Monasteriis, & locis, eorumque Superioribus, capitulis, & Conventibus, seu Populo Beneventano, & aliis quibuscumque concessis, ac quibusvis Sedis Apostolicae Indulgentiis, per quæ presentium executio, & per eas tributa jurisdictionis explicatio possit quomodolibet impediri, vel retardari: Quibus omnibus, eorum tenores pro plene, & integre expressis habentes, de plenitudine potestatis derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

§.5. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam extensionis, ampliationis, renovationis, concessionis, sanctionis, indulti, decreti, & elargitionis infringere, vel ei temerario ausu contraire; Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romae apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo vigesimo quinto, pridie Idus Decembris, Pontificatus Nostri Anno Secundo.

Clausula

Sanctio poenalis.

CI.

Præscribitur Archiconfraternitati Annuntiationis B. M. Virginis, ut quatuor subsidia Dotalia Puellis Neophytis Conservatorii Catechumenorum, quotannis præstent.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Nuper pro parte dilectorum filiorum Deputatorum Domus pie Catechumenorum, juxta Ecclesiam B. M. ad Montes nuncupat. de Urbe posita Nobis expositum fuit, quod cum Puellis, seu mulieribus Neophytis in Conservatorio Catechumenorum degentibus nullum aliud Dotis subsidium, quo in Domino, vel in Seculo nubere valeant, quam viginti quinque scutorum monetæ, quod ab ipsis Exponentibus illis assignari solet, ac elemosina aliorum septuaginta circiter scutorum paris monetæ per Nos, ac Romanos Pontifices pro tempore ex-

Exponitur
Puellis prædi-
ctis tenore Do-
tis subsidium
esse.

Etiam facultas
disponendi de
quatuor sub-
sidis dotali-
bus hujusmo-
di.

stantes eidem elargiri consuevit suppetat, distraque Neophytæ, utpote de Gentilitatis, & Infidelitatis tenebris ad veri luminis, quod est Christus, cognitionem noviter conversæ, longe difficilius opportuna nuptias, seu Matrimonium contrahendi occasiones, quam aliae Mulieres in Sanctæ Matris Ecclesie gremio ortæ, sicut experientia ipsa compertum est, inveniunt, ac proinde eas in Conservatorio præfato cum ingenti dispendio, ac incommodo diu retinere, & alere oporteat, itaut occupatis per eas omnibus dicti Conservatorii Mansionibus, locum inibi, quo novæ Catechumenæ illud ingredi volentes recipiantur quandoque deesse contingat; Multum vero levamenti eidem Conservatorio proveniret, si quatuor Dotes, seu subsidia dotalia ex illis, quæ ab Archiconfraternitate Annuntiationis B. M. Virginis in Ecclesia ejusdem S. M. super Minervam de Urbe præfata canonice instituta distribui solent, Neophytis prædictis annis singulis præstarentur, quemadmodum Puellis plurium aliorum Conservatoriorum de eadem Urbe ex diversorum Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum Indultis, seu Concessionibus quotannis præstari consueverunt. Inde enim fieret, ut dictæ Neophytæ hujusmodi subsidiis adjunctæ in Religionem, vel Matrimonium facilius collocarentur, atque Conservatorium prædictum gravi onere, & impensa liberaretur, & novæ Catechumenæ earum loco in idem Conservatorium commode recipi valerent.

Necnon Con-
servatorum
præfatorum ob
longiorem ea-
rum detentio-
nem gravi on-
ere premi.

Præces Depu-
tatorum ejus-
dem Conser-
vatorii.

Præceptum
præd. Archi-
confraternita-
ti Annuncia-
tionis.

§.1. Nobis propterea dicti Exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur ipsorum Exponentium votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere, volentes, eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis, a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodata existunt, ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati; Dilectis filiis modernis, & pro tempore existentibus Administratoribus, Officialibus, seu Ministris quocumque nomine nuncupatis dictæ Archiconfraternitatis Annuntiationis B. M. Virginis, ad quos ea res spectat, & pro tempore spectabit auctoritate Apostolica tenore presentium præcipimus, & mandamus, ut ipsi quatuor subsidia dotalia quadraginta scutorum monetæ prædictæ pro quolibet ex illis, quæ per eandem Archiconfraternitatem pauperibus puellis dispensantur, una cum pretio vestis eis dari solite, totidem Neophytis Conservatorii Catechomenarum prædictarum in causam earum Matrimonii, vel Monachatus singulis annis realiter, & cum effectu præstent, & assignent, seu præstari, & assignari curent, ita tamen, ut si unquam propter considerabilem ejusdem Archiconfraternitatis reddituum diminutionem, caetera subsidia dotalia, quæ dicta Archiconfraternitas aliis puellis distribuere solet, diminui contigerit, pari modo prædicta quatuor subsidia, salvo tamen earum numero præfato, diminui debeant.

Conceditur
Card. Corra-
dio Prote-

§.2. Quatuor autem subsidiorum dotalium hujusmodi præstatio, & assignatio ita fieri de-

beat, ut totidem Neophytæ Conservatorii præfati nullatenus a memoratis ejusdem Archiconfraternitatis Administratoribus, Officialibus, seu Ministris visitentur, eligantur, seu nominentur, sed illarum electio, seu nominatio, ac omnimoda de quatuor subsidiis dotalibus hujusmodi disponendi facultas ad dilectum filium nostrum Petrum Marcellinum S.R.E. Presbyterum Cardinalem Corradinum nuncupatum Prodarium nostrum Modernum, ac pro tempore existentem ejusdem S. R. E. Cardinalem dicti Conservatorii Protectorem, cujus erit eas Neophytas eligere, seu nominare, quas vitæ, ac morum honestate, ætate, aliave ratione caeteris antecessere in Domino censuerit, penitus pertineat; Ubi vero a Cardinale Protectore prædicto electio, seu nominatio, ut præfertur, facta fuerit, Cedula subsidiorum hujusmodi promissoria, quæ sane libera præstetur, & absque ullo vinculo, aut conditione juxta modum a memorato Cardinale Protectore præscribendum faciendæ erunt una cum pretio vestis, sicut præmittitur, dari solita, dicto Cardinali Protectori consignari debeant penes eum, seu alios de ejus mandato aservandæ, donec, & quousque iisdem Neophytis sic electis, seu nominatis, cum nimirum eas in Religione, vel Matrimonio juxta earum vocationem collocari contigerit, traduntur, ita scilicet, ut si quæ ex illis, quæ sic electæ, seu nominatæ fuerint, bonum sui speciem præbere non perrexerint, qua in re memorati Cardinalis Protectoris iudicio standum erit, illa a commodo, & beneficio eorundem subsidiorum dotalium sibi assignatorum cadant, nec illa, seu illorum cedulas petere, consequi, & obtinere valeant, sed subsidia illis assignata, seu illorum cedula hujusmodi, quemadmodum etiam illa, quæ ob Neophytarum, quibus assignata erant, mortem ante earum Matrimonium, vel Monachatum respective secutam, sive ob aliam rationem effectum suum sortita non fuerint, aliis Neophytis ejusdem Conservatorii per dictum Cardinalem Protectorem nunc, & pro tempore existentem pariformiter eligendis, seu nominandis assignantur, nec ista in eorum numero, quæ Neophytis prædictis, sicut præmittitur, quotannis assignari debent, ullatenus computari, sed novæ cedule illorum promissoria a supradictis Administratoribus, Officialibus, seu Ministris ad favorem aliarum Neophytarum per Cardinalem Protectorem prædictum, ut præfertur subrogandarum, seu nominandarum fieri, eidemque Cardinali Protectori modo, & forma supradictis consignari debeant.

Conceditur
Puellis prædi-
ctis teneantur
interesse publi-
cis functionibus
fieri solitis
hac de causa.

§.3. Caeterum quæcumque Conservatorii hujusmodi Neophytæ, quæ ad subsidia dotalia prædicta sicut præmittitur admittæ, seu nominatæ fuerint, processionibus, aliisque publicis functionibus in distributione eorundem subsidiorum dotalium, aut illorum occasione fieri solitis interesse minime teneantur, sed intra idem Conservatorium Sanctissimum Eucharistia Sacramentum sumere, aliave pia opera, sive a dictæ Archiconfraternitatis Statutis, sive a quorumvis Testatorum, & piorum Largitorum dispositionibus juncta adimplere possint, & debeant.

§.4. Eisdem vero Neophytis statim ac Matrimonium contraxerint, quod quidem Parochi attestante a duobus ex Deputatis Domus pie

Quædam
aliæ ordina-
tiones.

quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari: sicque in premissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obvis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus, & singulis illis, quae in praesentis Pauli, & Gregorii Praedecessorum litteris concessa sunt non obviare, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, eandem praesentium litterarum transmissis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio, & extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostense. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 6. Octobris MDCLXVIII. Pontificatus nostri Anno Secundo.

§.7. Cum autem sicut dilectus Filius Michael a Christo Procurator Generalis Congregationis Hispaniae Fratrum Discalceatorum dicti Ordinis Nobis nuper exponi fecit, in perficiendis, ac executioni mandandis novorum, Conventuum, & Domorum Ordinis praedicti foundationibus, ac erectionibus, quas Christi fideles pro sua in eorum Religionem devotione in diversis Mundi partibus, ac praecipue Hispaniae Regnis identidem facere intendunt, adhuc multoties contingat eosdem Fratres ab aliis praesertim Ordinum Mendicantium praefatorum, ac Minorum S. Francisci Regularibus non habita privilegiorum sibi super hujusmodi foundationibus, sicut praemittitur concessorum, ea, quae par est ratione, impediri, molestari, & perturbari, ac propterea dictus Michael quo praemissa firmiter subsistant, & serventur exactius Apostolice quoque confirmationis nostrae patrocinio communiti, ac alias opportune de super a Nobis provideri summopere desideret: Nos ejusdem Michaelis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinatis; praesertim Clementis IX., aliorumque Romanorum Pontificum Praedecessorum nostrorum super concessione, & confirmatione respective enarratorum privilegiorum expeditas litteras, ac omnia, & singula in eis contenta, & expressa, auctoritate Apostolica tenore praesentium approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis Apostolica firmitatis robur itidem adjicimus, ac illa per quascumque personas, etiam Regulares cujusvis Ordinis, & Instituti, tam Mendicantium, quam non Mendicantium, ac status, gradus, conditionis, & qualitates existant, exacte observari, eadem auctoritate harum serie praecipimus, & mandamus.

§.8. Decernentes pariter, ita in premissis

Preces Prioris generalis pro nova confirmatione.

Confirmatio relatae Conf. Clementis IX. aliorumque Romanorum Pontificum.

2 infol.

per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.9. Non obstantibus omnibus, & singulis illis, quae in praesentis Clementis IX. aliorumque Praedecessorum praedictorum litteris concessa sunt non obviare, ceterisque contrariis quibuscumque.

§.10. Volumus quoque, ut praesentium litterarum transmissis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio, quam extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae, vel ostense.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die IX. Januarii MDCCXXVI. Pontificatus nostri Anno Secundo.

CIII.

Confirmatur Decretum Congregationis Episcoporum, & Regularium super erectione Collegii Missionariorum in uno ex Conventibus Provinciae S. Gabrielis Ordinis Minorum Discalceatorum in Hispania.

Dat. 16. Jan. 1726. An. 2.

Simile Decretum pro Provincia S. Pauli Apostolice Castellae Veteris eorumdem Fratrum confirmatum fuit alia hujus Const. ed. 1724. Jun. 20. P. 1.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Ad futuram rei memoriam.

Nuper pro parte dilectorum fratrum Provinciae S. Gabrielis Ordinis S. Francisci Discalceatorum nuncupatorum in Hispania Congregationis Venerabilium Fratrum Nostri Ordinis S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium praeposita, quod ipsa Provincia Animabus sanguine Agni redemptis proficere cupiens sibi unum ex suis Conventibus per Fratres Definitorii Provincialis designandum in Collegium, seu Seminarium Missionariorum erigendi facultatem concederet, qui quidem Missionarii Apostolicis Missionibus unice dediti sint, cuiusque Guardianus, ac alii Fratres, ac pariter ipsum Seminarium strictissimis ipsis Provinciae Constitutionibus gubernentur, ac Ministro, & Definitorio Provinciali immediate Subditi sint, cui etiam electio Guardiani pro tempore dicti Seminarii, necnon Novitiorum receptio competat, sicut in aliis totius Provinciae Conventibus observatur, non autem immediate Praelato Generali subiciantur, quemadmodum in quibusdam fel. rec. Innocentii PP. XI. Praedecessoris nostri desuper in simili forma Brevis expeditis litteris pro Collegiis Missionariorum sitis in Provinciis ad familiam Hispanicam spectantibus disponitur; prohibendo simul expresse, quod dummodo in dicta Provincia Sancti Gabrielis praedictum Seminarium erectum sit, nullus ex ejusdem Provinciae Alumnus transire possit titulo Missionum, ad alia Missionariorum Col-

Expositio facta.

Decretum praefatae Congregationis, quo conceditur facultas erigendi Seminarium Missionariorum in uno ex Conventibus Provinciae discalceatorum.

Preces Procuratoris Generalis Discalceatorum.

Collegia extra ipsam Provinciam existentia, concedendo his novis Missionariis omnia, & singula privilegia, ac prerogativas in dictis litteris Innocentii Praedecessoris contenta, quibusque gaudent alia Missionariorum etiam regularis observantiae Seminararia, remanente tamen intacta, & illata eadem Superioris Generalis auctoritate, ac Superioritate, quam in omnibus Provinciis, & Conventibus praedicti Ordinis exercet excepta tamen immediata subjectione, electione Guardiani, & receptione Novitiorum, quae ut supradictum est, spectare debeat ad Ministrum, & Definitorium Provinciale pro tempore, quemadmodum die 20. Augusti 1723. ab eadem Congregatione Cardinalium Provinciae S. Pauli ejusdem Ordinis Discalceatorum indultum, & subinde per quascumque nostras Litteras desuper pariter in simili forma Brevis die 20. Junii 1724. expeditas confirmatum fuerat, emanavit a praedicta Congregatione Cardinalium Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet.

§.1. Sacra Congregatio Eminentissimorum, & Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium praeposita, visis relationibus Eminentissimi Consilii Praefectoris, & Patris Procuratoris Generalis Ordinis Discalceatorum, & Recollectorum, referente Eminentissimo Bellaga, benigne indultis, ut Patre Provinciali praefatae Provinciae veris existentibus narratis ad fundationem praedicti Collegii, seu Seminarii Missionariorum in uno ex Conventibus ejusdem Provinciae sibi, & Definitorio Provinciali benevisis, iuxta formam, prerogativas, privilegia, & onera contenta in praesentis Brevis San. Me. Innocentii XI. pro suo arbitrio, & conscientia, servatis servandis, deveniat, immediata tamen Jurisdictione, & electione Guardiani, ac receptione Novitiorum exceptis, quae reservata intelligantur eidem Provinciali modo supra descripto, & cum expressa etiam conditione, ut Religiosi ipsiusmodi Provinciae de uno ad aliud Seminarium alterius Provinciae transire, & Guardianus hujus Seminarii erigendi Religiosos aliarum Ordinis Provinciae acceptare minime possint, & valeant, firmis ceteroquin integris, & illis remanentibus omnibus aliis prerogativis, auctoritatibus, & Superioritatibus, debitis, & competentibus Patri Ministro Generali Ordinis: Constitutionibus Apostolicis, & Ordinis, ceterisque contrariis quibuscumque non obstantibus. Roma 7. Decembris 1725. F. Card. Paulatus = P. A. Archiepiscopus. Larissa Secretarius.

§.2. Cum autem, sicut dilectus filius Joannes Diaz a Conceptione Sacrae Theologiae Lector Provinciae Sancti Didaci in Bethica Pater, ac Discalceatorum, & Recollectorum dicti Ordinis Sancti Francisci in Romana Curia Procurator Generalis Nobis subinde exponi fecit, ipse praemissa quo firmiter subsistant, Apostolice confirmationis nostrae patrocinio communiti plurimum desideret:

§.3. Nos ipsius Joannis Procuratoris Generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes,

& absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinatis, Decretum praesentium auctoritate Apostolica tenore praesentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolica firmitatis robur adjicimus; salva tamen semper in premissis auctoritate memoratae Congregationis Cardinalium.

Confirmatio relatae Decreti.

§.4. Decernentes easdem praesentes litteras firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in premissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausula.

§.5. Non obstantibus premissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit primordiae Provinciae etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, Statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & Litteris Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanens, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die XVI. Jan. MDCCXXVI. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

CIV.

Conceduntur Indulgentiae etiam pro Defunctis, Confraternitatibus B. M. V. de Rosario, & SS. Nominis Jesu.

Dat. 19. Jan. 1726. An. 2.

Similes Indulgentiae concessae fuerunt a Clem. XI. Confraternitati Conceptionis B. M. V. in Ecclesiis Fratrum de Mercede Civitatis Mexicanae, Const. ed. 1703. Jun. 23. P. 3.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Ad futuram rei memoriam.

Dea, per quae Animarum Christianissimorum salus procuratur libenter intendimus, & eorumdem Christianissimorum devotionem, ut spiritualibus exercitiis ferventius incumbant, coelestium munerum largitione libenter fovemus, & incitamus.

§.1. Itaque de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum, ejus auctoritate confisi, omnibus, & singulis Fratribus, & Monialibus Ordinis Praedicatorum, ac Tertiariis de militia Christi, seu de poenitentia nuncupatis, & aliis utriusque sexus Christianissimorum Confratribus, & Confororibus Confraternitatum Beatae Mariae Virginis de Rosario, & Sanctissimi Nominis Jesu, tam haecenus in-

Concessio v. riarum Indulgentiarum orationi mentali vacanti-bus.

Ec-

Ecclesiis ejusdem Ordinis Canonice erectarum, quam in posterum ubilibet erigendarum, qui per quadrantem horæ orationi mentali vacaverint, pro qualibet vice centum dies, qui per duos quadrantes continuatos septem annos deinjunctis eis, aut alias quomodolibet debitis penitentibus, in forma Ecclesiæ consueta relaxamus; iis vero, qui devotioni hujusmodi per duos quadrantes continuatos, vel saltem per quadrantem horæ singulis diebus, & per totum mensē dabunt operam, & vere poenitentes, & confessi, Sanctis. Eucharistiæ Sacramentum sumperint, ac pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam semel quolibet mense omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem, quam per modum suffragii Animabus Christianidelium, quæ Deo in Charitate conjunctæ ab hac luce migraverint, applicare possint, Apostolica auctoritate tenore præsentium misericorditer in Domino concedimus. Insuper, quod dicti Fratres, & Moniales pro oratione mentali, ad quam ratione eorum Regula, & Constitutionum quolibet die tenentur, prædictas omnes Indulgentias, & peccatorum remissiones, ac poenitentiarum relaxationes proportionabiliter lucrari, & consequi possint, & valeant, auctoritate, & tenore præsentium indulgemus.

Clausula.

§. 2. In contrarium facientes, non obstantibus quibuscumque, præsentibus ad septennium tantum valituris. Volumus autem, quod si pro impetratione, præsentatione, admissione, seu publicatione præsentium aliquid minimum detur, aut sponte oblatum recipiatur, præsentibus nullæ sint, quodque præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, ipsi præsentibus si forent exhibite vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XIX. Januarii MDCCXXVI. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

CV.

Statuitur, ut Eremitæ S. Augustini Discalceati quarundam Congregationum in cantu, & habitu uniformitatem servant.

Facultas canendi horas Canonicas pro Provincia Franciæ eorumdem Fratrum facta fuit a Clem. XI. Const. ed. 1701. Janu. 29. P. 1.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Causa hujus Statuti.

CUM sicut accepimus, inter dilectos Filios Fratres Congregationum Italiæ, Germaniæ, Galliæ, Hispaniæ, Indiæ, & Lusitaniæ Ordinis Eremitarum S. Augustini Discalceatorum nuncupatorum multiplex, & magna diversitas tam circa recitationem Divini Officii in Choro, quod in quibusdam Conventibus, & Regionibus cum cantu, seu nota, in aliis vero sine cantu, & nota celebratur, quam circa habitum Regularem introducta sit.

§. 1. Nos, ut uniformitas in his omnibus ex commissi nobis cælitus Pastoralis officii nostri debito fervetur, providere cupientes: Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione Nostri, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, dilectis Filiis Vicariis Generalibus, Provincialibus, & Conventualibus Prioribus, ac universis Fratribus Discalceatis Ordinis, & Congregationum hujusmodi, ut tam ipsi, quam cæteri omnes, & singuli earumdem Congregationum Religiosi Professi uniformitatem in cantu Gregoriano, rasura, & caputio rotundo omnino servare teneantur, harum serie præcipimus, & mandamus.

Statutum præd. Motu proprio factum.

§. 2. Decernentes ipsas præsentibus litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, nec de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet defectu notari, impuguari, infringi, retractari, seu in controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci posse. Siquæ in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiti debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausula.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit, Ordinis, & Congregationum hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & Consuetudinibus; Privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides in Judicio, & extra adhibeatur, quæ adhibetur ipsi præsentibus, si forent exhibite, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXII. Januarii MDCCXXVI. Pontificatus Nostri Anno secundo.

CVI.

Erigitur nova Provincia in Regno Poloniæ pro Fratribus Discalceatis SSimæ Trinitatis Redempt. Capt. Congregationis Hispaniarum.

Dat. 22. Jan. 1726. An. 2.

Alia hujus Const. ed. 1725. Jul. 9. P. 2. declaratur fuit Ordo B. M. V. de Mercede Redemptionis Captivorum unus ex Ordinibus Mendicantium.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Ad futuram rei memoriam.

Admonet Nos suscepti cura regiminis universalis Ecclesiæ, ut paternam Christianidelium,

Exordium.

lium, qui de fluctibus Seculi in portum vite religiose confugerunt, curam gerentes felici illorum regimini, prosperisque in via Domini progressibus, quantum Nobis ex alto conceditur, consulere studeamus.

Causa Erectionis Provincie.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Michael a S. Josepho Procurator Generalis Ordinis Fratrum Discalceatorum SSimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum Congregationis Hispaniarum, quod cum prædictus Ordo per Regnum Poloniæ, & Magnum Ducatum Lituaniæ feliciter benedicente Domino propagatus reperitur, itaut in dictis Regno, & Magno Ducatu, & in eorum præcipuis Civitatibus plures Conventus, in quibus regularis observantia viget, & Institutum Redemptionis Captivorum cum magna Populorum ædificatione mirifice floret, numerentur, ipse Michael Procurator Generalis ex omnibus Conventibus intra ditionem ejusdem Regni Poloniæ existentibus unam Provinciam, pro cujus gubernio in proximo generali Capitulo juxta regulam, & Constitutiones dicti Ordinis unus Minister Provincialis eligatur, qui eadem Jurisdictione, prærogativis, & privilegiis potiri debeat, quibus de jure, & consuetudine cæteri aliarum Provinciarum ministri Provinciales gaudent, summopere desiderat. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgeri de benignitate Apostolica dignaremur.

Preces Procuratoris Generalis.

§. 2. Nos igitur ipsum Michaelē Procureto-rem Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie abolentes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati; de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium, qui relationem dilecti filii moderni Auditoris Venerabilis fratris Vincentii Archiepiscopi Trapezuntini nostri, & Apostolicæ Sedis apud Charissimum in Christo filium nostrum Augustinum Poloniæ Regem Illustrē Nuncii super præmissis ad eosdem Cardinales transmissam viderunt, & narrata attenderunt, consilio, prædictam Provinciam ex octo formulis Conventibus compositam sub titulo Sancti Joachim B. M. Virginis Genitoris auctoritate Apostolica tenore præsentium erigimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis prædictorum Cardinalium.

Erectio præd. Provincie 8. Cenobii constituta sub tit. S. Joachim.

Clausula.

§. 3. Decernentes easdem præsentibus litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: si que in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiti debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit Ordinis, & Congregatio-

nis Trinitariorum hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XXII. Jan. MDCCXXVI. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

CVII.

Extenditur in perpetuum Indulgentia plen. pro Ecclesiis Ordinis Prædicatorum die Festo Omnium Sanctorum.

Dat. 24. Jan. 1726. An. 2.

Clem. XI. Const. ed. 1713. Jan. 13. P. 13. Concessa fuit Indulgentia Plen. perp. pro Ecclesiis ejusdem Ord. in Festo S. Pii V. Et hujus Const. ed. 1726. Febr. 6. P. 2. Conceditur Indulgentia Plen. perp. pro septem Febris sextis præcedentibus Festum S. Vincentii Ferrerii.

BENEDICTUS EPISCOPUS

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. Alias fel. rec. Clemens PP. XI. Prædecessor Noster supplicationibus quondam Antonini Cloche, dum vixit Magistri Generalis Ordinis Fratrum Prædicatorum sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus, omnibus, & singulis utriusque sexus Christianidelibus vere poenitentibus, & Confessis, ac Sacra Communione refectis, qui aliquam ex Ecclesiis Fratrum, & Monialium Ordinis Sancti Dominici ubique locorum existentibus, die nona Novembris, qua solemnitas, seu commemoratio omnium dicti Ordinis Sanctorum ex Indulto Sedis Apostolicæ celebrari solet, a primis Vesperis usque ad occasum Solis diei hujusmodi singulis annis devote visitassent, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effudissent, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concessit, prout in ejusdem Clementis Prædecessoris desuper in simili forma Brevis die 12. Decembris 1716. expeditis literis, quas ad decennium tantum valere voluit uberius continetur.

A Clem. XI. Indulg. præd. eisdem in decennium concessa fuit.

§. 2. Nunc autem Nos dum Cardinalatus honore fungebamur, memores, Indulgentiam hujusmodi pro prima vice a fel. me. Clem. PP. XI. Prædecessore pariter Nostro, tunc ad 25. annos pro omnibus Ecclesiis supradictis obtinuisse; precibus dilecti filii Thomæ Ripoll Magistri Generalis Ordinis prædicti nobis humiliter porrectis, uberiori paternæ charitatis benignitate annuentes, concessionem ab eodem Clemente XI. ipsaque literas, servata tamen ceteroquum illarum forma, & dispositione, in perpetuum auctoritate Apostolica tenore præsentium extendimus.

Extensio in perpet. præd. Indulg.